MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80480-11

AUTHOR: BERGK, THEODOR

TITLE: QUAESTIONUM SOPHOCLEARUM...

PLACE: MARBURGI

DATE: 1849

Master Negative #

92-80480-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Bergk, Theodor, 1812-1881.
Quaestionum Sophoclearum spec. I. Marburgi, typis Elwerti Academicis, 1849.
v p. 28 x 22 cm.

At head of title: Indices lectionum et publicarum et privatarum, quae in Academia Marburgensi ... proponuntur.

No. 5 of vol. of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 03 11 1992 INITIALS [illegible]
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

INDICES
LECTIONUM

ET

PUBLICARUM ET PRIVATARUM,

QUAE IN

ACADEMIA MARBURGENSI

PER

SEMESTRE HIBERNUM

INDE A D. XXIII. M. OCTOBRIS MDCCCXLVIII USQUE AD D. XXIV. M. MARTII MDCCCXLIX

HABENDAE PROPONUNTUR.

Inest Theodori Bergkii Quaestionum Sophoclearum Spec. I.

MARBURGI.
TYPIS ELWERTI ACADEMICIS.

ACADEMIAE MARBURGENSIS

PRORECTOR CUM SENATU

S. P. D.

COMMILITONIBUS DILECTISSIMIS.

I.

Ajax v. 1273: *)

Οὐ μνημονεύεις οὐκέτ' οὐδὲν, ἡνίκα
ἑρκέων ποθ' ὑμᾶς οὗτος ἐγκεκλεισμένους,
ἤδη τὸ μηδὲν ὄντας ἐν τροπῇ δορός
ἐῤῥύσατ' ἐλθὼν μοῦνος, ἀμφὶ μὲν νεῶν
ἄκροισιν ἤδη ναυτικοῖς ἑδωλίοις
πυρὸς φλέγοντος, ἐς δὲ ναυτικὰ σκάφη
πηδῶντος ἄρδην Ἕκτορος τάφρων ὕπερ;

Quis tandem ferat inanem hanc verborum copiam *ἀμφὶ νεῶν ναυτικοῖς ἑδωλίοις*, ut nihil dicam de repetitione ejusdem verbi in versu proximo *ἐς δὲ ναυτικὰ σκάφη*. Est sane extrema pars Ajacis maxima ex parte ita comparata, ut non videatur a Sophocle profecta esse. Sed quamvis poeta multum inferior, pingui ut ajunt Minerva haec adjecerit, non tamen existimandus est puerili plane ratione erravisse. Non est dubium, quin priore loco *ναυτικὸς* sit corruptum, quare conjicio:

ἀμφὶ μὲν νεῶν
ἄκροισιν ἤδη *πευκίνοις* ἑδωλίοις.

II.

Antig. v. 599

Νῦν γὰρ ἐσχάτας ὑπὲρ
ῥίζας ἐτέτατο φάος ἐν Οἰδίπου δόμοις·
κἀτ' αὖ νιν φοινία θεῶν τῶν
νερτέρων ἀμᾷ κόνις
λόγου τ' ἄνοια καὶ φρενῶν Ἐρινῦς.

Eximium hoc carmen multis locis etiam nunc depravatum alio loco correctum et explanatum exhibebo: nunc unum tantum locum depromam, in quo emendando et explicando homines docti parum recte versati sunt: nam cum usitatum sit *ἀμᾶται κόνις*, tamen nullo pacto *ἀμᾷ κόνις* dici potest. Contra qui *κοπίς* conjiciunt *τῶν νερτέρων θεῶν*, imaginem prorsus insolentem inferunt. Accidit hoc loco, quod saepius apud Sophoclem, ut qui in emendando externam aliquam vocabulorum similitudinem

---

*) Monendum est legentium causa, me multis et alienis negotiis occupatum has pagellas subito et sine librorum auxilio conscripsisse, cum collega valetudinis causa non valeret meas in se vices recipere.

sectetur, is a vero prorsus aberret. Corruptum est utrumque vocabulum, neque tamen in voce ἀμᾶ verbum, in voce κόνις nomen delitescit, sed contra se res habet. Corrigendum censeo:

κατ' αὖ νιν Φοινία θεῶν
τῶν νερτέρων ἀρὰ κλονεῖ,
λόγου τ' ἄνοια καὶ φρενῶν ἐρινῦς.

Nullo enim pacto licuit hoc loco diras praetermittere, unde omnis exitii causa repetenda: sed de hac re alias dicetur accuratius.

III.

Trachin. v. 99:

Ὃν αἰόλα νὺξ ἐναριζομένα
τίκτει κατευνάζει τε φλογιζόμενον
Ἅλιον Ἅλιον αἰτῶ,
τοῦτο καρῦξαι, τὸν Ἀλκμή-
νας, πόθι μοι πόθι παῖς
ναίει ποτ', ὦ λαμπρᾷ στεροπᾷ φλεγέθων,
ἢ ποντίους αὐλῶνας κτλ.

Inficetum, quod chorus virginum Trachiniarum Herculem παῖδα appellat: nam illud plane non ferendum, si quis ad Alcmenam referre velit: balbutientis enim foret oratio, cum aut τὸν Ἀλκμήνας παῖδα aut ὁ Ἀλκμήνας παῖς dicendum fuisset. Facili negotio locus restitui potest: scribendum:

τοῦτο καρῦξαι τὸν Ἀλκμήνας, πόθι μοι πόθι· πᾷ ναίει ποτ', ὦ λαμπρᾷ
στεροπᾷ φλεγέθων κτλ.

nam chorus, cum primum paucis quid vellet nuntiasset, continuo accuratius quaerit, quo tandem loco Hercules vagus commoretur.

IV.

Trachin. v. 931.

Κἀν ᾧ τὸ κεῖσε δεῦρό τ' ἐξορμώμεθα,
ὁρῶμεν αὐτὴν ἀμφιπλῆγι φασγάνῳ
πλευρὰν ὑφ' ἧπαρ καὶ φρένας πεπληγμένην.

Displicet αὐτὴν — πλευρὰν — πεπληγμένην, cum in ejusmodi locis variare soleant boni scriptores. Nescio an Sophocles scripserit:

πλευρὰς ὑφ' ἧπαρ καὶ φρένας πεπληγμένην.

Atque post vidi a Scholiasta Homeri Iliad. p. 11 ed. Bekker haec ipsa verba πλευρὰς ὑφ' ἧπαρ καὶ φρένας quamquam poetae nomine non addito afferri: sed illum scholiastam hunc ipsum Sophoclis locum dicere non est obscurum.

V.

Philoctet. v. 222.

ποίας πάτρας ὑμᾶς ἂν ἢ γένους ποτὲ
τύχοιμ' ἂν εἰπών.

Hunc ordinem verborum Aldus ut videtur exhibet, quem secuti sunt ceteri editores: sed codices La. Lb. Lc. R. ἂν ὑμᾶς suppeditant, idque ipsum Triclinius in suo codice videtur reperisse, nec tamen recte verba sic disposuit: ποίας πάτρας ἂν ἢ γένους ὑμᾶς ποτε. Sed sequendi sunt codices, nisi quod mutato accentu scribendum:

ποίας πάτρας ἂν ὕμας ἢ γένους ποτέ.

Sophoclem saepius ἧμιν et ὗμιν dixisse constat, sed non est causa, cur negemus eadem illum licentia in accusativo usum esse. Et ex tragico poeta petitum est exemplum, quod Apollonius Dyscolus, si

recte memini, bis affert et in libro de pronomine et de Syntaxi τίς ἐξέπεμψεν ὕμας, quod fortasse et ipsum Sophocleum est. — Sed revertar ad illum ex Philocteta locum, in quo alia praeterea latet corruptela:

Ἀλλ' οἰκτίσαντες ἄνδρα δύστηνον, μόνον,
ἔρημον ὧδε κἄφιλον καλούμενον.
φωνήσατ', εἴπερ ὡς φίλοι προσήκετε.

In his Hermannus frustra conatus est καλούμενον defendere, nec magis satisfaciunt hominum doctorum conjecturae, ut κακούμενον, πωλούμενον, μ' ἀλώμενον. Hoc quoque loco ut multis aliis crasis videtur oblitterata esse. Nam omnino scribendum:

ἔρημον ὧδε κἄφιλον κὠλούμενον.

Participium futuri, quamvis paullo insolentius, satis convenit huic loco, quo Philocteta penitus mox se periturum esse indicare vult.

VI.

Philoctet. v. 1393:

ΝΕ. Τί δῆτ' ἂν ἡμεῖς δρῷμεν, εἰ σέ γ' ἐν λόγοις
πείσειν δυνησόμεσθα μηδέν, ὧν λέγω;
ὡς ῥᾷστ' ἐμοὶ μὲν τῶν λόγων λῆξαι, σὲ δὲ
ζῆν, ὥσπερ ἤδη ζῇς ἄνευ σωτηρίας.

Offendit me, quod Neoptolemus dicit, sibi *facillimum* esse non amplius verbis Philoctetam fatigare (nam hoc quidem per se planum), illi autem, vivere ut antea desertum ab omni auxilio: quae est importuna prorsus et inhumana oratio. Multo melius esset ἄριστ' ἐμοὶ μὲν, sed Sophocles scripserat ὥρα 'στ', unde facili errore ortum ὡς ῥᾷστ'. Sed praeterea corrigenda est distinctio, quae plurimis locis apud Sophoclem etiamnunc depravata est, in hunc modum:

Τί δῆτ' ἂν ἡμεῖς δρῷμεν; εἰ σέ γ' ἐν λόγοις
πείσειν δυνησόμεσθα μηδὲν, ὧν λέγω,
ὥρα 'στ' ἐμοὶ μὲν τῶν λόγων λῆξαι κτλ.

VII.

Electra v. 604:

Καὶ τόδ' εἴπερ ἔσθενον,
ἔδρων ἂν, εὖ τόδ' ἴσθι· τοῦ δέ γ' οὕνεκα
κήρυσσε μ' εἰς ἅπαντας, εἴτε χρὴ κακὴν,
εἴτε στόμαργον, εἴτ' ἀναιδείας πλέαν.

Quod sciam, neminem hic locus offendit: at displicet χρή: ego arbitror poetam scripsisse:

εἴτε χρῄς κακὴν,
εἴτε στόμαργον, εἴτ' ἀναιδείας πλέαν.

nam voluntatis, non necessitatis haec sunt. Verbo autem χρῄς non solum comici poetae usi sunt, ut Cratinus, verum etiam tragici, restituitque, si recte memini, Guil. Dindorfius id ipsum in Ajace v. 1373: σοὶ δὲ δρᾶν ἔξεσθ' ἃ χρῄς, ubi codices itidem χρὴ exhibent.

Scr. Cassellis d. XXIX. mensis Julii
MDCCCXLVIII.

I. LECTIONES ORDINIS THEOLOGORUM.

FRIDERICUS GUILIELMUS RETTBERG, phil. et theol. Dr., hujusque P. P. O., Augustissimo Electori a consiliis ecclesiasticis, Academiae h. a. Prorector, tradet *1) privatim a) historiam ecclesiasticam* inde a tempore reformationis quinquies h. VIII, *b) theologiam dogmaticam* octies, h. IX et duabus horis posterius constituendis; *2) publice studia societatis dogmaticae* sueto more moderabitur dieb. Lun. h. VI—VIII vespertinis.

ERNESTUS LUDOVICUS THEODORUS HENKE, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., bibliothecae academicae praefectus, *1) privatim a) historiae ecclesiasticae* partem primam narrabit quinis scholis h. VIII, *b) homileticam, liturgicam,* et, si tempus supersit, *pericoparum usum homileticum* docebit totidem diebus h. X; *2) publice exercitationes societatis homileticae* solito more moderari perget die Jovis h. VI.

GUILIELMUS SCHEFFER, phil. et theol. Dr. hujusque P. P. O., Augustissimo Electori in regimine et senatu ecclesiastico a consiliis, eccl. reform. per Hassiam superiorem inspector, ordinis theol. h. a. decanus, *1) privatim a) Pauli ad Romanos epistolam* et, si per temporis spatium licuerit, *epistolam Jacobi* quin. schol. h. X interpretabitur, *b) ethicen christianam* quat. dieb. h. XI docebit; *2) publice historiam ethices christianae* hora auditoribus commoda tradet.

JOANNES GILDEMEISTER, phil. et theol. Dr. hujusque et litt. or. P. P. O., bibliothecae academicae praefectus secundarius, *1) privatim a) librum Jesaiae* interpretabitur sexies p. h. h. II, *b) linguarum Semiticarum comparationem grammaticam* instituet quat. h. X; *2) publice a) linguae Sanskritae elementa* tradet ter h. IV, *b) scholas Arabicas, Syriacas* et *Indicas* solito more horis commodis continuabit; *3) privatissime* et *gratis studia societatis exegeticae* moderari perget die Veneris horis VI et VII.

HENRICUS GUILIELMUS JOSIAS THIERSCH, phil. et theol. Dr. theol. P. P. O., *1) privatim a) Evangelium Joannis* interpretabitur h. X, quinis per hebd. lectionibus, *b) Vaticinia Veteris Testamenti Messiam spectantia* explicabit h. XI quat. per hebd.; *2) publice exercitationes interpretandi libros Novi Test.* instituet dieb. Merc. et Sat. h. XI.

II. LECTIONES ORDINIS JURECONSULTORUM.

EDUARDUS PLATNER, phil. et J. U. D. hujusque P. P. O., Augustissimo Electori a consiliis aulae intimis et ord. leonis aurei Hassiaci eques, facult. jur. Assessor ordinarius, *1) publice* die Mercurii h. IV *historiam juris publici Romani* enarrabit; *2) privatim a) Justiniani institutiones* quin. dieb. h. VIII interpretabitur, *b) historiam juris Romani privati* sen. dieb. h. III tradet, *c) philosophiae praecepta de juris et civitatis indole (jus naturae)* quatern. dieb. h. IV docebit.

EDUARDUS SIGISMUNDUS LOEBELL, jur. utr. Dr. et P. P. O., Academiae Procancellarius, facult. jur. Assessor ordinarius, ordinis leonis aurei Hassiaci eques, *1) publice nonnullos Digestorum titulos* interpretabitur dieb. Merc. et Sat. h. II; *2) privatim a) jus criminale* duce *Feuerbachio* quin. dieb. h. X, *b) institutiones juris Romani* duce *Muehlenbruchio* senis dieb. h. XI, *c) encyclopaediam et methodologiam juris* duce *Falckio* quat. dieb. h. II exponet.

CAROLUS FRIDERICUS VOLLGRAFF, phil. ac jur. utr. Dr. hujusque P. P. O., facult. jurid. Assessor ord. h. a. decanus, *1) publice* tractabit *de nova unionis civitatum Germanicarum constitutione atque forma regiminis in spe* die Merc. h. II; *2) privatim* leget *a) jus publicum* filo proprio quinis diebus h. XI, *b) jus gentium* cum *jure civitatum confoederatarum* duce libro suo et proprio filo quat. h. II, *c) jus Germanicum privatum* et *feudale* duce *Eichhornio* quin. dieb. h. X.

CONRADUS BUECHEL, J. U. D. et P. P. O., *1) publice a) de juribus in re aliena* dieb. Merc. et Sat. h. X, *b) de ordine et exitu judiciorum privatorum apud Romanos* die Merc. h. IV disseret; *2) privatim a) pandectas*, duce *de Wening-Ingenheim* sen. dieb. h. IX et II, *b) jus hereditarium, eodem duce,* quat. dieb. h. X profitebitur, *c) historiam juris Romani privati* sen. dieb. h. III tradet.

GEORGIUS GUILIELMUS WETZELL, J. U. D. et P. P. O., *1) privatim a) institutiones juris Romani Marezollio* duce sexies h. IX profitebitur, *b) processum civilem* senis dieb. h. X docebit, *c) practicum processuale* et *relatorium* quat. schol., et *2) publice disputationes de difficilioribus quaestionibus juris Romani* binis scholis instituet.

FRIDERICUS GUILIELMUS ROESTELL, J. U. D. et P. P. O., *1) publice examinatorium et conversatorium de jure canonico* die instituet Ven. h. VII; *2) privatim a) jus ecclesiasticum* quin. dieb. h. IX, *b) historiam juris atque imperii Germanici* quin. dieb. h. III, *c) jus publicum Germanicae ratione habitu etiam ceterarum civitatum Europaearum* diebb. Lun., Mart., Jov. et Ven. h. IV docebit.

III. LECTIONES ORDINIS MEDICORUM.

GEORGIUS GUILIELMUS FRANCISCUS WENDEROTH, Augustissimo Electori ab intimis rerum medicarum consiliis, phil. et med. Dr. hujusque et botanices P. P. O., horti botanici Praefectus, *1) privatim a) familias vegetabilium, quae cryptogamicae vocantur* quat. schol. h. XI illustrabit, *b) de anatomia et physiologia plantarum*

bin. schol. eademque hora disseret; 2) *privatissime a) materiam pharmaceutico-medicam cum exercitationibus pharmacognosticis conjunctam* quinq. per hebd. h. II, *b) oeconomiam ruris, oeconomiae politicae studiis accommodatam* tern. schol. hora commoda docebit.

CHRISTOPHORUS ULLMANN, Augustissimo Electori ab intimis rerum medicarum consiliis, med. Dr. et chir. atque ophthalmologiae P. P. O., deputationis medicae in Hassia superiori assessor, offert lectiones *de difficilibus chirurgiae capitibus.*

JOANNES MAURITIUS DAVIDES HEROLD, phil. et med. Dr. hujusque P. P. O., instit. zoolog. director, 1) *publice criticam dijudicationem omnium systematum zoologicorum, inde ab Aristotelis temporibus usque ad aevum nostrum in lucem editorum*, instituet semel per hebd. die Martis h. XI: 2) *privatim historiam naturalem specialem animalium superiorum ordinum*, secundum *Goldfussii* compendium zoologicum *(Grundriss der Zoologie)* sexies per hebd. h. X exponet; 3) *privatissime zoologiae generalis* secundam partem, quae *animalia inferiorum ordinum* complectitur, sexies per hebd. h. II docebit.

CAROLUS FRIDERICUS HEUSINGER, med. Dr. et P. P. O., instituti medicoclinici director, in regimine Marburgensi a consiliis in rebus medicis, docebit 1) *privatim a) pathologiam generalem et diaeteticen* h. III, *b) pathologiam et therapiam specialem* h. II; 2) *privatissime clinicen medicam* moderabitur h. X—XII (bis h. XI—XII); 3) *publice examinatorium de rebus clinicis* die Sat. h. I instituet.

CAROLUS CHRISTOPHORUS HUETER, med. Dr. et artis obstetriciae P. P. O., xenodochii obstetricii director, 1) *publice de morbis neonatorum* bin. schol. h. III disseret; 2) *privatim artem obstetriciam* quat. schol. h. III docebit; 3) *privatissime a) doctrinam de operationibus et instrumentis obstetriciis* sen. schol. h. IV tradet, *b) cursum practicum operationum obstetriciarum* quat. schol. h. V reget, *c) clinicen obstetriciam* bin. schol. diebb. Merc. et Sat. h. V aliisque horis sueto more moderabitur.

FRANCISCUS LUDOVICUS FICK, med. Dr. et P. P. O. et instit. anat. director, ord. h. a. decanus, docebit 1) *publice historiam evolutionis corporis hum.* semel per hebd. h. idon.; 2) *privatim a) osteologiam et syndesmologiam* ter per hebd. h. IX, *b) anatomiae specialis* partem primam sexies h. XII, *c) anatomiam pathologicam* quat. per hebd. h. III; 3) *privatissime* diriget *praeparationes anatomicas* cum prosectoribus in theatro anatomico.

EDUARDUS ZEIS, med. Dr. et P. P. O., instituti clin. chir. director, 1) *publice examinatorium de rebus chirurgicis* instituet die Sat. h. XI; 2) *privatim chirurgiae* partem secundam (*de operationibus chirurgicis*) quinis d. h. VIII docebit; 3) *privatissime a) cursum operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum* quat. d. h. III, *b) clinicum chirurgicum et ophthalmiatricum* diriget quotidie h. IX, die Lunae et Ven. h. IX—XI.

HERMANNUS NASSE, med. Dr. et physiologiae P. P. O., 1) *publice chemiam et histologiam pathologicam, quatenus morborum cognitioni conducunt, observationibus et explorationibus* illustrabit bis per hebd. h. XII; 2) *privatim a) anatomiam generalem* docebit ter h. XI et *b) artem veterinariam theoreticam* quat. h. III.

IV. LECTIONES ORDINIS PHILOSOPHORUM.

CHRISTIANUS LUDOVICUS GERLING, phil. Dr., math. phys. et astr. P. P. O., 1) *publice* die Sat. h. X *selecta geometriae practicae* tractabit capita; 2) *privatim a)* quotidie h. VIII *physicam experimentalem* tradet duce cl. *Eisenlohr*, *b)* quin. dieb. h. X *trigonometriam planam et sphaericam* sec. librum suum.

JOANNES FRIDERICUS CHRISTIANUS HESSEL, philos. et med. Dr., mineralogiae et technologiae P. P. O., mus. mineralog. director, 1) *publice* docebit *perspecticam* dieb. Merc. et Sat. h. I—III; 2) *privatim* tradet *a) oryctognosiam* quin. dieb. hor. XI adjunctis *exercitationibus* die Sat. eadem hora, *b) technologiam* quat. dieb. h. II, *c) analysin combinatoriam* quat. dieb. h. X, *d) calculum differentialem* quin. dieb. h. V.

CHRISTIANUS KOCH, philos. Dr. et paedagogices P. P. O., 1) *publice conversatoria historico-philosophica et didactica* auditoribus suis offert horis liberis; 2) *privatim paedagogices praecepta philosophica et historica* binis per hebd. dieb. h. IV docebit.

ROBERTUS GUILIELMUS BUNSEN, philos. Dr. et chemiae P. P. O., instit. chemici director, 1) *privatim* docebit *chemiam experimentalem* sexies h. IX: 2) *privatissime exercitationes chemicas* quat. per hebd. h. mat. X—XII moderari perget; 3) *publice electrochemiam* die Sat. h. XI tradet.

BRUNO HILDEBRAND, phil. Dr., litt. politicarum P. P. O., 1) *privatim a) quaestiones politicas et sociales nostri temporis* tractabit quat. per hebd. h. II, *b) oeconomiam publicam* tradet quat. h. XI; 2) *privatissime* sed *gratis societatis politico-oeconomicae exercitationes* moderabitur.

THEODORUS BERGK, philos. Dr. et philologiae P. P. O., seminarii philologici director, 1) *privatim a) Graecarum litterarum historiam* docebit quinquies h. XI, *b) poetarum Latinorum elegiacorum carmina selecta* interpretabitur bis h. III; 2) *publice a) seminarii philologici sodalibus Pindari carmina selecta et Taciti Annales* explicanda proponet ceterasque *exercitationes* moderabitur ter h. III, *b) societatis philologicae studia* reget semel h. VI.

JOSEPHUS CAROLUS FRIDERICUS RUBINO, philos. Dr., philologiae et historiae P. P. O., ordinis sui h. a. decanus, 1) *publice a) Sophoclis Antigonen* bis vel ter per hebd. h. VIII explicabit, et *b) antiquitatum Romanarum capita quaedam* binis scholis eadem hora tradet: 2) *privatim veteris Graeciae historiam* quinquies per hebd. h. V enarrabit.

HENRICUS A SYBEL, philos. Dr. et historiae P. P. O., 1) *privatim* docebit *a) historiam populi Germanici* quat. per hebd. h. IV, *b) historiam M. Britanniae, Hiberniae et Americae septentrionalis* inde ab a. 1640 quat. h. V enarrabit; 2) *publice exercitationes societatis politicae* moderabitur.

FRANCISCUS EDUARDUS CHRISTOPHORUS DIETRICH, theol. et phil. Dr. et P. P. O., 1) *publice a) lectiones Arabicas* offert bin. scholis h. XI, *b) Wolframi ab Eschenbach de Parcivale epos* exponet bin. scholis h. V; 2) *privatim fundamentale Hebraicum* tradet quat. h. XI, *b) antiquitates Hebraicas non exclusa historia* enarrabit quat.

h. III, c) *Geneseos librum* interpretabitur sen. schol. h. II *examinatorium* sueto more adjungens, d) *literas Germanicas* docebit quat. h. x.

FRIDERICUS LUDOVICUS STEGMANN, med. et phil. Dr., P. P. O., 1) *publice* dieb. Sat. h. II *de rebus analyticis examina* instituet; 2) *privatim* a) *analyseos* partem alteram qua de *calculo integrali* ac de *analyseos in geometria sublimiori explicanda usu* agitur, compendium *Burgianum* secuturus sen. schol. h. IX, b) *theoriam aequationum algebraicarum* quater per hebd. h. III tradet; 3) *privatissime* sed *gratis* auditorum qui satis in mathesi provecti sint *exercitationes circa problemata ab ipsis solvenda* dieb. Merc. h. IV—VI moderari perget.

V. LECTIONES INSTITUTI POLITICO-OECONOMICI

EDUARDI PLATNERI, h. a. praes.
CAROLI FRID. VOLLGRAFFII,
GEO. GUIL. FRANC. WENDEROTHII,
CHR. LUD. GERLINGII,
JOH. CHR. FR. HESSELII,
BRUN. HILDEBRANDII,
HENRICI A SYBEL

suis locis commemoratae sunt.

VI. LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

GEORGIUS JACOBUS FRIDERICUS SONNENMAYER, med. et chir. Dr. et ophthalmiatrices P. P. E., 1) *publice de ophthalmia aegyptiaca* disseret; 2) *privatim ophthalmologiam* tradet quat. per hebd. h. I; 3) *privatissime* a) *clinicen ophthalmiatricam* sexies per hebd. h. XII diriget et b) *cursum* offert *instituendum de operationibus ophthalmiatricis.*

FERDINANDUS ROBERT, med. Dr. et P. P. E., docebit 1) *publice anatomiam chirurgicam* bis p. h. h. II; 2) *privatim* a) *chirurgiam operativam* h. VIII quat. schol., b) *ophthalmologiam* h. II tern. schol.; 3) *privatissime* a) *cursum chirurgico- et ophthalmologico-manualem* bis p. h. h. VIII aliisque horis offert et b) *clinicum chirurgicum et ophthalmologicum* sumptu proprio diriget.

CONSTANTINUS ZWENGER, med. Dr. et P. P. E., 1) *privatim* docebit a) *chemiam medicam* bin. dieb. h. IX, b) *pharmaciam* quat. schol. h. IX; 2) *publice examinatorium de chemia et pharmacia* instituet.

CAROLUS LUDWIG, med. Dr. et P. P. E., 1) *privatim physiologiam hominis* quinquies p. hebd. h. XI docebit; 2) *publice conversatorium de physiologia hominis* hor. adhuc constituenda instituet.

CAROLUS REINHARDUS MUELLER, phil. Dr. et math. P. P. E., 1) *publice* a) *examinatorium de singulis math. disciplinis* instituet bis per hebd. h. XI, b) *algebrae elementa* tradet bis per hebd. h. I; 2) *privatim* a) *mathesin puram* quat. schol. h. XI, b) *calculum differentialem* quat. schol. h. II docebit.

CAROLUS JULIUS CAESAR, philos. Dr. et philol. P. P. E., 1) *publice de re scenica et arte dramatica Graecorum* disseret bin. schol. h. x; 2) *privatim* a) *Aristotelis Politicorum libros* interpretabitur ter h. x, b) *metricam Graecorum Romanorumque artem* docebit quat. h. IX.

FRANCISCUS VORLAENDER, philos. Dr. et P. P. E., 1) *publice elementa politices philosophica* exponet semel per hebd. h. XI; 2) *privatim* a) *psychologiam* duce libro suo: *Wissenschaft der Seele*, quat. dieb. h. IX, b) *historiam philosophiae universalem* quin. schol. h. XI, c) *logicen* docebit, duce libro suo: *Wissenschaft der Erkenntniss* quat dieb. h. III.

JOANNES CAROLUS HINKEL, phil. Dr. et lingg. occid. P. P. E., 1) *publice conversatorium philosophicum* moderabitur die Sat. h. III: 2) *privatim* a) *selecta poemata Anglica*, *Huberi* librum secutus, explicabit praemissa introductione historica bis h. II, b) *selecta poemata gallica Ideleri* librum (part. IV) secutus interpretabitur praemissa introductione historica bis h. II, c) *linguam Anglicam* docebit bis h. II, d) *logicam* tradet quater h. III.

THEODORUS WAITZ, philos. Dr. et P. P. E., 1) *privatim* docebit a) *psychologiam* h. IV quat. per hebd., b) *paedagogicen universalem* h. XI bis per hebd.; 2) *publice disputationes instituet de rebus philosophicis* h. VI die Merc.

VII. LECTIONES PRIVATIM DOCENTIUM.

ADOLPHUS HENRICUS CHRISTIANUS ADAM, theol. Lic. et seminarii theologici Philippini major primarius, 1) *privatim* a) *philosophiam religionis* quat. h. IX, b) *historiam dogmatum* quinq. h. III tradet; 2) *privatissime examinatoria et lectiones de singulis theologiae disciplinis* offert.

FRIDERICUS GUILIELMUS HASSENCAMP, theol. Lic. et seminarii theologici major secundarius, 1) *privatim* a) *historiam N. T. literariam* quinqu. h. III enarrabit, b) *epistolam ad Hebraeos* quat. h. x interpretabitur; 2) *gratis* a) *historiam passionis salvatoris nostri Jesu Christi secundum quatuor evangelia* bis h. XI, b) *vitam Jesu Christi* semel hora jam definienda explicabit.

ERNESTUS ROSSTEUSCHER, phil. Dr. et theol. Lic., 1) *privatim* a) *acta apostolorum* quat. interpretabitur, b) *historiam ecclesiae antiquae usque ad Constantinum* ter narrabit horis definiendis; 2) *collegia examinatoria et repetitoria privatissime* instituenda offert.

CAROLUS STERNBERG, jur. utr. Dr. et in tribunali superiori, quod Marburgi floret, causarum procurator, *Germanorum in specie Hassorum consuetudines gratis* docebit die Sat. h. IV.

VICTOR PLATNER, J. U. D., 1) *privatim* docebit a) *jus Germanicum conjunctum cum jure feudali et mercatorio* sen. dieb. h. definienda, b) *jus publicum imperii Germanici et singularum civitatum Germanicarum* quat. dieb. h. definienda; 2) *gratis jus Germanicum hereditarium cum jure Romano hereditario* comparabit die Martis et Sat.

FRANCISCUS GEORGIUS LOTZ, J. U. D., 1) *privatim* a) *jus criminale* quin. dieb. h. VIII profitebitur, b) *modum procedendi in causis criminalibus secundum principia juris communis Germanici, juris Romani, Anglici, Franco-Gallici* describet quin. dieb. h. III; 2) *gratis* instituet *practicum civile* bin. schol. h. II.

HENRICUS FICK, J. U. D., *privatim a) jus privatum Germanicum* duce *Kraut* sen. dieb. h. IV, *b) jus feudale* duce *Kraut* bin. dieb. h. III, *c) jus mercatorium* duce *Kraut* tern. dieb. h. III explicabit, *d) de juratorum judiciis* semel per hebd. h. III disseret.

LEOPOLDUS EICHELBERG, med. Dr., tradet *historiam medicinae philosophicam* quater per septim. hor. V.

J. FRANCISCUS EDUARDUS KNORZ, med. Dr. et medicus practicus, 1) *privatim a) encyclopaediam et methodologiam scientiarum naturalium et medicarum* bis per hebd. h. IV, *b) medicinam forensem et politiam medicam* quat. per hebd. h. IV, *c) materiam medicam imprimis pharmacognosiam* quat. per hebd. h. aptis, *d) anatomiam et physiologiam plantarum* bis per hebd. h. XI docebit; 2) *gratis a) introductionem in phytologiae studium* semel per hebd., *b) historiam naturalem plantarum cryptogamicarum* bis per hebd. h. convenientibus tradet.

CAROLUS PHILIPPUS FALCK, med. Dr. et medicus practicus, docebit 1) *privatim a) materiam medicam et toxicologiam* quat. per hebd. h. IV aut quavis alia hora, *b) medicinam publicam, i. e. politiam medicam et medicinam forensem* quat. per hebd. h. II, *c) medicinam forensem jurisprudentiae studiosis praeparatam cum demonstrationibus idoneis* quat. per hebd. h. optata, *d) encyclopaediam rerum naturalium et medicinae* bis per hebd. h. V; 2) *gratis examina de materia medica* instituet adhibita collectione praeparatorum.

ERNESTUS PHILIPPUS AMELUNG, philos. Dr., 1) *gratis Latine loquendi exercitationes* bis per hebd. perget, 2) *privatim selectas Paulini a St. Josepho orationes ad recensionem Wagneri nostri — adjunctis Latine scribendi exercitationibus* quat. per hebd. schol. h. III interpretabitur; *lectiones* denique 3) *privatissime tam Graecas quam Latinas Gallicasque* sueto more continuabit.

JOSEPHUS HOFFA, philos. Dr. et scholae publicae collaborator, 1) *gratis a) Shakspearei »Romeo and Juliet“* semel per hebd. h. commoda explicabit, *b) colloquia lingua Gallica habenda* in usum futurorum praeceptorum semel h. c. reget; 2) *privatim a) Ciceronis de re publica* libros interpretabitur, *latine scribendi exercitationes* reget, quat. per hebd. schol. h. III, *b) linguam Anglicam* docebit simulque auditores legendo et vertendo libro *„the vicar of Wakefield“* exercebit bis per hebd. h. c., *c) Molièrei comoediam „le Tartufe“* bis per hebd. h. VI explicabit; 3) *privatissimas lectiones de linguis classicis*, aeque ac de *Anglica et Gallica* continuabit.

CAROLUS GUSTAPHUS ADOLPHUS KNIES, philos. Dr., *privatim a) oeconomiam politicam* tradet h. X quat. dieb., *b) statisticen generalem* docebit h. XI quat. dieb., *c) scientiam artis aerariae* exponet h. III. quat., *d) Europae historiam inde ab anno 1815 usque ad hodiernum tempus* exponet quat. h. II.

ALBERTUS WIGAND, philos. Dr., 1) *gratis encyclopaediam et methodologiam rerum naturalium* tradet tern. schol. h. IV; 2) *privatim a) pharmacognosiam* docebit quat. h. II, *b) botanicen vegetabilium cryptogamicorum* docebit nec minus *exercitationes in iis definiendis excursionesque* instituet tern. schol., *c) physiologiam plantarum* tradet bis h. IV.

Equorum subigendorum artem addiscere cupientibus non deest magister peritissimus, nec hippodromi spatiosissimi copia; nec minus praesto sunt, qui instrumentorum mathematicorum physicorumque fabricationem, artem delineandi, calligraphiam, musicen, armorum denique tractationem et saltationem recte doceant.
